




8



RECTOR
ACADEMIÆ WITTENBERGENSIS
JO. GOTHO-
FREDUS BERGER,
FACULTATIS MEDICÆ SE-
NIOR, ET h.t. DECANUS, AC PATHOLO-
GIÆ PROFESSOR PUBLICUS,

CIVIBUS ACADEMICIS

S. P. D.




Q. B. V.

Vanquam ea temporum
calamitas Ecclesiae nostrae imminet atque
incubat plane, ut omnem propemodum læ-
titiā & cuiusvis festivitatis Jubilææ studi-
um intercipiat nobis ac tollat: hodiernus ta-
men dies, qui Sacra LUTHERI anniversaria nobis retulit,
ita erigit animos nostros & recreat, ut quodammodo exime-
re tristitiam memoriam, revocare a sollicitudine & cura, atque
ad maxima nos invitare gaudia videatur. Non enim tantum
in mentem nobis revocat illud æterni DEI beneficium, quo
purior Divi LUTHERI doctrina in hac sede, qua primum
ex tenebris & squaloribus emerferat, salva huc usque stetit
ac floruit; sed luculentum in primis ac hilarem nobis annum
designat, quo florentissima etiam regna & provinciæ de as-
serta, & per integrum nunc seculum servata hac veritate, pu-
blico indicto Jubilæo, egerunt triumphos, & festis undique
gaudiis perstreperunt. Namque mirandum dictu, nec ul-
la unquam tacendum ætate est, prodiisse quondam ex LU-
THERI Schola duos artium liberalium Magistros, LAU-
RENTIUM, atque OLAUM PETRI, Fratres Nericia-
Svecos, & quam ex ore tanti Doctoris hauserant, salutarem
Doctrinam, ceu præclarum aliquem thesaurum, retulisse in
patriam, eoque cives suos liberaliter locupletasse. Equidem,
quæ mali genii artes ac insidiæ sunt, emergentem hanc veri-
tatem modis omnibus premere, nunc congressibus publicis
infrin-

infringere ac confutare, nunc introducta fidei forma, quam Liturgiam vocabant, quasi suffocare, nunc carcere & exilio defensores plectere, cum Principes ipsi, tum clamosi illi claustrorum greges ac Præsules nitebantur. Sed inenarrabili DEI bonitate, tum & maximorum Regum fortitudine & constantia, ac Confessorum Præconumque ardentissimo zelo effectum est, ut per universos prope Sveciæ fines felicissimo ferretur cursu, ac Upsaliensis postea Concilii Decreto die XXV. Februarii A. clō Io xciii. confirmaretur. Atque hic quidem annus cum, elapso abhinc seculo, in orbem rediisset, & ingentium DEI beneficiorum renovasset memoriam; **POTENTISSIMUS SVECORUM REX CAROLUS XI.** Heros, ut verbo dicamus, Incomparabilis, illum ipsum Februarii diem, quo stabilita olim sanctior illa disciplina, receptaque fuerat, solennem reddere, & seculari quodam celebrare tripudio pulcrum quam maxime, & sibi cum primis proprium duxit. Imitari hoc ipso Constantinum M. Imperatorem visus, qui cum Vicennalia Sacra perageret, omnibus provinciis suis publica præscripsit solennia, & totius Imperii Episcopos, lautissimo exceptos convivio, præmiis insuper mactavit, ad exteros quoque, velut testatur Eusebius, & qui huic celebritati non interfuerant, redundare aliquid horum voluit; sic demum quandam Christi imaginem adumbrari persuasus. Ne enim singularem illam tanti Regis in nos Clementiam dissimulemus; inusitato quodam munificentiae genere Academiam hanc nostram affecit, misso eximii ponderis Nummo, cuius altera facies navem fluctibus agitatum, & **JEHOVAM** propitium exhibet, cum epigraphe: **JACTATUR, SED TUTA TAMEN**; altera vero hæc refert: **IN FELICEM MEMORIAM CONCILII UPSALIENS. CUIUS DECRETUM CENTESIMO ABHINC ANNO PERSECUTIONI LITURGICÆ FINEM ATTULIT. MDCXCIII.** Quanto inde gaudio perfusa fuerit hæc Alma Mater, quanti que adeo faciat hunc tanti Herois erga se affectum, id nec assequitur oratio nostra,
&

& ista quidem pagina non capit. Eo enim loco se esse intel-
ligit, quo matres sunt ad senium declives, & ob frugalitatem
tenacemque antiqui rigorem vel ipsis quandoque filiabus
despectæ. Interim felicem se credit satis, quod a Patre Patriæ
feratur in oculis, & a maximis aliquando Regibus benignis-
sime salutetur. Nunquam enim ex animo finet effluere in-
credibilem illam erga se gratiam GUSTAVI ADOLPHI,
Magni quondam Germaniæ Defensoris, qui transmissis hoc
Albi, cives nostros, qui tanti spectaculi causa excurrerant,
Lutheri filios compellavit, quin & Doctoribus Theologis
colloqvii intra tentorium suum copiam fecit, his inter alia di-
ctis: *A vobis ex hoc loco Evangelii lucem in Sveciam accepi-*
mus, quam cum hostis obscuratum eat, ad vos venimus, illam cum
Deo tuendi, aut iterum accendendi animo, ut Loccenius V.C. il-
lud edisserit. Facit horum omnium jucundissima recorda-
tio, ut rumpere tandem silentium, & votivis plausibus exci-
pere Svecica hæc Jubila, ac, quantum vel unus ille CARO-
LUS Religioni Lutheranae attulerit præsidii, his ipsis RE-
FORMATIONIS LUTHERI Solennibus, quæ perendie
instant, celebrare, publicoque extollere sermone gestiamus.
Quas partes cum delegatas sibi esse voluerit Venerandi Or-
dinis Theologici DECANUS SPECTABILIS, DN. JO.
GEORGIUS NEUMANNUS, Doctor Theologus, &
Professor Publicus excellentissimus; nihil amplius dicen-
dum nobis hic esse ducimus. Quin potius, quod reliquum est,
ad publicam hanc Panegyricam Per-Illustres ac Generosissi-
mos BARONES, Patresque conscriptos, ac Hospites, ut par
est, invitamus; Cives autem cohortamur universos, ut ad ho-
ram ejusdem diei II. in Auditorio Majori adesse, hymnisque
ac precibus DEO commendare Ecclesiæ nostræ ancipitem
statum, & conspirantibus animis lingvisque Svecici Achillis
gloriam extollere pro viribus suis contendant. P. P.

Dom. XX. post Trinit. A. cl. lxxc. XCIII.





80

RECTOR
ACADEMIÆ WITTEN
JO. GOT
FREDUS BE
FACULTATIS MI
NIOR, ET h.t. DECANUS,
GIÆ PROFESSOR I

CIVIBUS ACAD
S. P. D.

